



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. XLI. Confessum se languores suos, Deumque invocasse, quem amiserat, quia volebat eum possidere cum mendacio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

sed bene S. Bernardus, *in his parva morula*, redire coguntur ad solita vitæ munia, deprimente necessitate & consuetudine, quod hic deplorat S. D.

## C A P. XLI.

*Confessum se languores suos, Deumque invocasse, quem amiserat, quia volebat eum possidere cum mendacio.*

I. Deoque consideravi languores peccatorum meorum, *a* in cupiditate tripli: & dexteram tuam invocavi, ad salutem meam. Vidi enim splendorem tuum corde saucio, & repercuflus dixi: *Quis illuc potest? Projectus sum à facie oculorum tuorum.* Tu <sup>Psal. 30,</sup> es veritas super omnia præsidens. At ego <sup>23.</sup> per avaritiam meam *b* non amittere te volui, sed volui tecum possidere mendacium; sicut nemo vult ita falsum dicere, ut nesciat ipse, quid verum sit. Itaque amisi te, quia non dignaris cum mendacio possideri.

## N O T. Æ.

<sup>a</sup> *In cupiditate triplici:* carnis, oculorum, superbiæ, de qua S. Ioan. cuius impulsu homo peccat, <sup>1. Ioan. 2,</sup> dum triplex bonum inordinate appetit. I. *Quod* re ipsa in ipso recipitur, ut voluptas cibi, potus, Veneris. II. *Quod* per inanes tantum species seu apprehensionem, & curiositate ac varietate delectat. III. *Quod* totum extra ipsum est, ut honor, laus, gloria. I. *Est concupiscentia carnis.* II. *Concupiscentia oculorum.* III. *Superbia vitæ.*

<sup>b</sup> *Non amittere te volui:* Nemo quantumvis impius Deum vult amittere, quem novit esse summum bonum. Quod omnes necessario appetunt, et si media difficultia ad illud assequendum necessaria, multi repudient.

T V S V S.

## V S V S.

1. Mirabilis fuit S. D. conversio, qui ex gravissimis vitiis luxuriæ, superbiæ, vanitatis, ita integræ emersit, ut non nisi pauculæ & vix culpabiles imperfectiones in ipso permanserint. Vbi nos hæremus? Sequamur, aut saltem sequi defideremus. Augustinus castus, humilis, seculi contemptore esse cœpit, & constanter permanxit. Inspice & fac secundum exemplar conversionis ejus, qui peccasti secundum exemplum illius.
2. Non dignatur Deus cum mendacio possideri; hoc totum impedimentum conversionis & profectus nostri est, quia volumus in Deo & simul in creaturis delectari, & mentimur nobis ipsis, id posse fieri.

## C A P. XLII.

*Quosdam quæsivisse reconciliationem cum  
Deo per Angelos, & illusos à Damone,  
qui est mediator fallax.*

1. **Q**uem invenirem, qui me reconciliaret tibi? An obeundum mihi fuit ad angelos? qua prece? quibus sacramentis? Multi conantes ad te redire, neque per se ipsos valentes, sicut audio, tentaverunt hæc: & inciderunt in desiderium curiosarum visionum, & digni habiti sunt illusionibus. Elati enim te quærebant doctrinæ fastu, exerentes potius quam tundentes pectora: & adduxerunt sibi per similitudinem cordis Ephe<sup>s</sup>.2. sui, conspirantes & socias superbiæ suæ potestates aëris hujus, quibus per potentias magicas deciperentur, quærentes mediatorem, per quem purgarentur, & non erat. Diabolus enim erat, transfigurans se in angelum lucis.

2. Et